CODICVM CABALISTICORVM MANVSCRIPTORVM,

QVIBVS EST VSVS,

IOANNES PICVS

COMES MIRANDVLANVS

INDEX

A IACOBO GAFFARELLO

D. Amelij perpetuo Commendatore

Exaratus.



PARISIIS,
Ex Typographia Viduæ H. BLAGEART, viâ Carmelitanâ, in Monte S. Hilarij, ad inſigne Speculi.

M. DC. LI.

CLARISSIMO DOCTISSIMOQ;

VIRO

GABRIELI NAVDÆO

ARTIGIÆ IN LEMOVICIBVS

Priori Meritiſſimo,

IACOBVS GAFFARELLVS

S. P. D.

QVÆRENTI tibi, Doctiſſime Naudæe, quare ſyluas & ſolitudines tanto cum animi ardore petierim, reſpondere imprimis potuiſſem, ſeceſſum hunc, monteſque, & ruris amœnitates, præſcriptas mihi in partem remedij ab Æſculapij veſtris Pariſienſibus fuiſſe. Verum quoniam iſtud tibi æque ac mihi notum eſt, ob diligentem operam quam tunc in me ſubleuando attuliſti:

hoc potius reſcribendum duxi, quòd morbo illo ſeſe ob fortunatiſsimam hanc aëris mutationem remittente, tantum mihi à grauiſsimis moleſtijs otij ſuperfuit, vt Indicem hunc, quem tibi antea pollicitus fueram exarare potuerim. Tibi, inquam, cui me plura debere, vel ex Bibliographia tua coniicere eſt, ſeu de Scriptoribus rerum Politicarum Libello verè aureo, quem olim ad me ſcriptum amantiſsimè, meoque nomini dicatum, publici iuris facere voluiſti. Quod vero ſeriùs quam optabam par pari reddiderim, iſtud ſcio, tum litibus fermè continuis, cum & morbis, alijſque occupationibus moleſtiſsimis; potiuſquàm voluntati, aut negligentiæ meæ, condonabis, qui probè noſti tempus fermè nullum, mihi poſt meum ex Italia reditum, vbi iucundiſsimè ſimul verſati ſumus, ab eiuſmodi auocamentis, vacuum effluxiſſe. Verum ea eſt iſtius Indicis nouitas & præſtantia, vt neque te illius, paulo tardius accepti, me verò

etiam multominus, poſt tot moras elaborati pœnitere debeat: & ſanè eiuſmodi ſunt tres illi codices Manuſcripti, quorum ſummam, maxima cum diligentia collectam exhibet, vt ſi Iudæi exſcriptoris inſcitiam, & malitiam, in ſecundo codice excipias, nihil ſit in illis penitùs, quod quis meritò non laudet. Verum hoc tibi nouum aut mirum eſſe non debet, qui haud multò diſsimiles in Pſeudo-Gerſenicis codicibus Manuſcript. additiones, expunctiones, eraſiones, aliaſque eiuſdem farinæ corruptelas, & falſitates quondam obſeruaſti, & ſcripta etiam de illis ad eruditiſsimos fratres Puteanos, maxima literarum atque literatorum ornamenta fideli relatione poſteritati, quaſi teſtimonio ſempiternè duraturo conſignare voluiſti. Neque mirum eſt falſarios iſtos qui Th. Kempenſi partum æterna ſæculorum memoria digniſsimum, nefariis iſtis artibus ſurripere tentarunt, adeo poſtea moleſtos ſe huic tuo candori,

& tuendæ veritatis ſtudio incredibili, exhibuiſſe, vt tuã vbique famam canino dente lacerarint. Sed magnorum virorum eſt cùm rectè fecerint, & poſteritatem omnem ſuis ingentibus beneficijs demeruerint, malè à flagitioſis aut rerum ignaris audire; quemadmodum etiam accidiſſe videmus Viris illis maximis, quos in Apologia tua numquam intermoritura, tot à calumniis vindicaſti. Nempe vicerunt illi, vinces & tu puſillorum ac meleuolorum obtrectationes, & inſulſas Pſeudo-Gerſeniſtarum criminationes, refereſque glorioſum de Anti-Kempenſibus triumphum. Etenim vt in inſtruenda Bibliotheca, librorumque omnium vtilitatibus dignoſcendis, neminem vmquam tibi non conceſſiſſe certum eſt, ita ad detegendas impoſtorum hominum fraudes, feliciorem ſagacioremque te ipſo, nullum vnquam admirabitur Literaria Reſpublica. Vale interim amiciſsime Naudæe & me vt cœpiſti amare perge.

LECTORI BENEVOLO.

VT Codicis cuiuſdam Mirandulani improbatione, magnum ſæculi ſui ornamentum Lipſius, ad reſtituendum Cornelium Tacitum feliciter eſt vſus; ita ego trium approbatione MSS. voluminum, quibus euoluendis ingeniorum Phœnix Picus Mirandulanus ſedulo incumbebat, quæque Venetiis mihi fortuitò oblata, non mediocri pretio redimenda cenſui ad abditorum Cabalæ myſteriorum illuſtrationem mihi indicis iſtius beneficio vtendum eſſe duxi.

Quod autem volumina illa eadem ſint quæ mox laudatus comes Mirandulanus, immani pretio conquiſita à ſe fuiſſe toties teſtatus eſt, nemini ſanè dubium eſſe poteſt, cùm in primi voluminis margine, propria ipſe manu breues notas adſcripſerit, ex quibus poſtea percelebres illas condidit cõcluſiones Cabaliſticas, quas palàm Romæ diſputandas propoſuerat; propriam verò eius manum arguunt, tum caracterum quos ibidem efformauit comparatio cum his quibus ipſe varias exarauit Epiſtolas, quibuſdam in Italiæ Muſæis aſſeruatas: tum eorum etiam relatio, quæ à Franciſco Pico eius nepote afferuntur, de modo quo ipſos auunculus delineabat in ſcribendo characteres. *Laboratum*, inquit, *ſummope-*

re eſt in reparandis libris omnem diuinaatricem Aſtrologiam funditus euertentibus, quandoquidem eiuſmodi characteribus ita delineati erant (qui erat homini mos) ob ſcribendi dictandique velocitatem, vt cuiuſuis alterius lingua quam Latina ſpeciem præ ſe ferre viderentur, tot interliti lituris, vt non facilè internoſceretur quid pro diſpuncto, quid pro emendato haberi deberet. Eodem autem pingendi modo exaratas eſſe notas illas marginales ita perſpicuum eſt, vt eas characteribus, quod aiunt, ignorabilibus, efformatas fuiſſe merito quis exiſtimet. Accedit quod primi voluminis interpres, quem Hebræum fuiſſe Picique mercenarium non arduum eſt coniectari, Picum ipſum ad cuius manus volumen iſtud peruenturum erat plerumque alloquatur. Adde Picum propria manu ſuum expunxiſſe nomen omnibus ex locis in quibus interpres ſiue monitoris, ſiue inſectatoris officio functus Picum adeò carpebat, vt quibuſdam ſcommatibus per primum illud volumen conſperſis, in quibus nomina *Pici* & *Margaritæ* cuiuſdam, quæ Picum deperibat, non ita ſunt deleta, quin ob diuerſitatem atramenti legi adhuc facile poſſint, nimiam nunc obiiceret ſciendi curioſitatem, nunc immoderatum honorum appetitum, nunc datæ fidei inobſeruantiam, nunc fallacia verba mendacij, nunc puſillanimitatem, nunc in Caſtro ſancti Angeli incarcerationem, nunc inuerecundiam, ſæpiſſime vero formæ iactantiam aliaque vitia, quæ ſanè vt meras putidaſque inſectationes reiicerem, niſi in eius vita per eundem Franciſcum eius nepotem ſcripta verba hæc perlegiſſem,

ſem *prius enim*, inquit, *& gloriæ cupidus, & amore vano ſuccenſus, muliebribuſque illecebris commotus fuerat: Fœminarum quippe plurimæ ob venuſtatem corporis, oriſque gratiam in eius amorem exarſerunt; ab quarum ſtudio non abhorrens parumper via vitæ poſthabita in delicias defluxerat.* Enimuero vt vera ſint quæ nepos de patruo teſtatus eſt, nihilo tamen minus amarulentiæ plurimum in iſto amanuenſi fuiſſe tum verba ipſa me admonent, tum ſibi non ſolutæ mercedis exprobratio. Niſi forte dixerimus Iudæũ hunc naturali quadam propenſione ad obtrectãdum vnicuique fuiſſe, vtpote qui nedum Picum carpſerit, ſed Mithridatem quendam, cuius in Epiſtolis meminit Picus, alioquin Hebræum iracundiæ, liuoris, & homicidij inſimulauerit, nec à Galeoto, & Antonio Maria Ioannis fratribus temperauerit. Quin & ſummum Pontific. Innocentium Octauum cum apperté, tum ſuppoſito quodam nomine, & cum eo Cardinales minus honorifice appellauerit, & Sacro ſanctæ Religionis noſtræ aduerſarium agnoſci ſe non piguerit. Itaut mirum non ſit, ſi vitæ ſuæ conſuluiſſe aliquando neceſſarium exiſtimauerit. Sed quid ſi propria flagitia ſpurciſſimum hominem recenſere non puduit? dum pagina ſecundi voluminis centeſima octuageſima quinta carere ſe נער conqueritur. Verũ præter has rationes, alia mihi duo ſunt, non minoris ponderis argumenta, quibus præfatos codices M.SS. Mirandulani fuiſſe, facile quiuis ſibi perſuadere poteſt, quorum alterum eſt ipſorummet Codicum antiquitas, quam perbellè ſapiunt eorum characteres. Secundum verò

& quidem maximum, proprium eſt Mirandulani teſtimonium, quo Deum ipſum ingenue obteſtatus eſt, coſdem & habuiſſe, & perlegiſſe: eoſdem inquam, cum præter illas quas propria manu diximus ipſum in eorundem margine ſcripſiſſe annotationes, eandem contineant Cabaliſticam ſcientiam, quam quos comparauerat continere iuramento aſſeuerauerat. Talem enim omnino reperies his in Codicibus qualem Picus ipſe docuit ſcripſitque ſuis in lucubrationibus. In illis namque decem præcipuos Hebræi docent articulos fidei, in quibus eos nobiſcum diuinitus concordare mirantur qui legunt. Primus eſt de adorando Trinitatis myſterio. Secundus de Verbi Incarnatione. Tertius de Meſſiæ diuinitate. Quartus de peccato originali. Quintus de eiuſdem per Chriſtum expiatione: Sextus de Hieruſalem cœleſti: Septimus de caſu Dæmonum: Octauus de Ordinibus Angelorum: Nonus de purgatorijs, Decimus denique de inferorum pœnis.

Hoc de primo ſcriptum reperio, in primi Codicis parte quinta, quæ eſt in Deuteronomium, paraſcia ſeu ſectione prima. *Quia Dominus eſt* אלהים *Elohim, hoc eſt Dij, intentio eſt ne truncentur plantæ: licet enim perſonæ dicantur in numero plurali, quidquid tamen eſt in vna in alia eſt, & omnes ſunt vnum &c. omnes ſunt, omnes fuerunt, omnes erunt: non mutatur, non mutatus eſt, nō mutabitur Benedictus ipſe. Et ſi dixeris quid eſt inter hanc & illam? equidem omnes eſſe (reſpondeo) vno pondere, vna æqualitate &c. licet ex parte noſtri videatur mutatio vnius, & variatio*

ab altera fieri. de Verbi verò Incarnatione & Meſſihæ Diuinitate, adeò clara ſunt his in Codicibus argumenta, vt clariora non ſint in dilucidioribus Chriſtianorum doctorum monumentis. Chriſtum enim quem Deum de Deo & lumen de lumine fateri coguntur obſtinatiores, argutioreſque Cabaliſtæ, iam dudum veniſſe aſſeritur in eiuſdem primi voluminis parte prima, paraſcia nona, contra pertinaciſſimum quemdam Callirum, qui Dauidem Meſſiham eſſe contendebat. Non enim ex Meſſiha Dauidē, ſed Meſſiham ex Dauide ortum eſſe ſacra cōclamant oracula. *Quæ cauſa fuit*, inquit Eleazar Katon, ſecundi Codicis Exſcriptor, ſeu Collector, libro quarto, *quare illo Scripturæ ſacræ textu, qui Regum omnium ex ſtirpe Dauid oriundorum nomina complectitur litera* Ghimel *characteriſtica numeri* III. *vbique lateat, nimirū vt per illius occultationis myſterium ventura intelligerent ſæcula Chriſtum Dominum tribus præcipuis adornatum fuiſſe Spiritus ſancti glorioſis dotibus & titulis, per Ghimel latentem præſignatis: ſpiritu*, ſcilicet, *ſapientiæ & intelligentiæ: ſpiritu conſilij & fortitudinis; ſpiritu ſcientiæ & timoris Domini.* Hunc namque Redemptorem ſæculi tunc latentem dum è ſuis viſceribus naſciturum viſu prophetico cerneret Cythariſta ſanctiſſimus, exultans & lætabundus iubilabat: *Spiritum nouum innoua in viſceribus meis;* & *; propter Dauid ſeruum tuum ne auertas faciem Chriſti tui.* Hoc etiam minimè prætereundum à nobis velut conniuentibus eſſe puto; tot inter literarum occultationes, quæ eodem enumerantur libro quarto, nullam frequen-

tius occultari quam *Ghimel*, præſertim aliis in textibus quibus inefanda nobis panduntur adorandæ Trinitatis myſteria: latebat ſiquidem rudi, duraque ceruice populum beata illa Trinitas, quam tamen vbique ſignabat, & tamquam à longe præmonſtrabat ſacra Literula.

Quod autem ad peccatum attinet originale eiuſque per Chriſtum expiationem, numeroſiſſimam inuenies ſyluam in præfati voluminis primi paraſciaot ſeu ſectionibus in Geneſim tertia, & nona: in Exodum tertia, in Leuiticum prima & octaua, vbi de ceſſatione agitur ſacrificiorum omnium, excepta hoſtia תודה *todè*, i. laudis. In Deuteronomium item paraſcia ſeptima.

De Hieruſalem cœleſti nihil frequentius reperitur quam quæ de cœleſti illa patria, & עולם הבא *oghlam habò* ſeu venturo ſeculo, ibidem afferuntur ab antiqua Kabala, à qua tritum illud actioma ventilatur: *Nihil factum in terris quod non habeat exemplar in cœlis*, quod fit vt *mortalis*, inquiunt, *Hieruſalem immortalem ac plane cœleſtem indigitet longe illâ glorioſiorem beatioremque. Caduca corporibus ædificata eſt in ſolo, permanens verò altera æternumque duratura promittitur animabus in cœlo, quæ ex* בינה *bina, hoc eſt ſapientia* (quam alio nomine Agnum Chriſtianorum Theologorum apex appellat) *præfulgens, ſolis vel lunæ nō indigebit luminibus:* lucerna enim ejus eſt Agnus. Interim vide ſis licet primi Codicis ſectione prima in Geneſim, paraſciam vndecimam.

Caſus Dæmonum variaſque Angelorum ordinationes docent præfati Codices ad mentem ferè

Chriſtianorum, in paraſciaot 1. ſectionibus in Geneſim prima & 4. in Exodum ſecunda 4. & 8. in Leuiticum ſexta, & in Numer. prima.

De Inferorum pœnis æterniſque ſuppliciis, quibus per immundos ſpiritus quos עבדי אף יהוה vocant, hoc eſt *furoris domini adminiſtros*, torquentur damnatorum animæ, pleraque quoque habent quæ fides Chriſtiana non improbat, quæque in primi iam laudati voluminis paraſcia in Geneſim quarta, & in Leuiticum octaua expiſcari facile poterunt, longum enim eſſet hic omnia tranſcribere atque referre.

Purgatoria duo habent, vnum per גלגול *ghilgoul*, ſeu reuolutionem animarum varia per corpora; ſecundum verò Chriſtianæ fidei valde conſonum, per ignem ſtatuunt, in quo purgari animas ad tempus, eaſque viuorum precibus iuuari maximè aſſerunt, vnde ipſis ea inoleuit conſuetudo, veſpere Sabbathi preces pro defunctis cantando effundere, earumque doloroſum ac plane gemebundum prolongare cantum, vt maiori temporis duratione quam ארכה vocāt, hoc eſt prorogationem ſeu medelam, ſolari & reſpirare valeant in ardoribus animæ.

Quod verò doctrinam hanc quam tot encomiis ad cœlum vſque Picus euehit, ex ſuperioribus Codicibus Manuſcriptis deprompſerit, ſequentibus quæ ſua referuntur in Apologia, capite de Magia patet. *Cabaliſtica*, inquit, *tempore Eſdræ in plures Libros fuiſſe redacta, qui dicuntur Libri Cabalæ, quos ego Libros ſumma impenſa mihi conquiſitos, neque enim eos Hebræi Latinis noſtris communicare volunt, cum diligenter perlege-*

rim, inueniens ibi multa, imò penè omnia conſona fidei noſtræ, viſum eſt mihi habere poſſe Chriſtianos, vnde Iudæos ſuis telis confodiant, cum ab eis auctoritas Cabaliſtarum, quos habent in magno honore & reuerentia, negari non poſſit. Et paulo inferius. *Nullum eſſe ſcilicet penè articulum in quo nobiſcum Iudæi per Cabaliſtarum auctoritatem ſentire non cogantur.* Et in libro de Hominis dignitate ſub finem. *Hi ſunt*, inquit, *Libri ſcientiæ Cabalæ. In his merito Eſdras venam intellectus, id eſt de intelligibilibus Angeliciſque formis exactam Metaphyſicam, & ſcientiæ flumen, id eſt de rebus naturalibus firmiſſimam philoſophiam eſſe clara in primis voce pronunciauit, &c. Hi Libri apud Hebræos hac tempeſtate tanta religione coluntur, vt neminem liceat niſi annos quadraginta natum illos attingere. Hos ego Libros non mediocri impenſa mihi cum comparaſſem ſumma diligentia, indefeſſis laboribus cum perlegiſſem, vidi in illis (teſtis eſt Deus) Religionem non tam Moſaïcam, quàm Chriſtianam: Ibi Trinitatis myſterium: Ibi Verbi Incarnatio: Ibi Meſſiæ diuinitates: Ibi de peccato originali, de illius per Chriſtum expiatione, de cœleſti Hieruſalem, de caſu Dæmonum, de ordinibus Angelorum, de Purgatoriis, de Inferorum pœnis; Eadem legi quæ apud Paulum & Dionyſium, apud Hieronymum & Auguſtinum quotidie legimus. In his verò quæ ſpectant ad philoſophiam Pythagoram prorſus audias & Platonem, quorum decreta ita ſunt fidei Chriſtianæ aſſinia, vt Auguſtinus noſter immenſas Deo gratias agat quod ad eius manus peruenerint libri Platonicorum: in plenum nulla eſt fermè de re no-*

bis cum Hebrais controuerſia, de qua ex libris Cabaliſtarum ita redargui, conuincique non poſſint, vt ne angulus quidem reliquus ſit in quem ſe condant. Illorum inde librorum tantam eſſe ſciebat vtilitatem Sixtus Quartus Summus Pontifex, vt in Latinum ſermonem eos ex Hebraïco vertendos decreuerit, ita enim ab ipſo Pico didicimus, eodem de hominis dignitate libello, vbi hæc ſcriptum reliquit. *Hi Libri Sixtus Quartus Pontifex Maximus, qui hunc ſub quo viuimus feliciter Innocentium octauum, proximè anteceſſit, maxima cura ſtudioque curauit, vt in publicam fidei noſtra vtilitatem latinis literis mandarentur, iamque cum ille deceſſit tres ex illis peruenerant ad Latinos*, qui ni me fallat coniectura, iidem penitus ſunt cùm tribus his noſtris quorum Indicem hîc exarauimus: Nam cum ab amicis in Curia Romana degentibus copiam iuſſu Pontificis latinè factam recuperare non poſſet Picus, eos per præfatum Iudæum ex Hebraïcis fontibus quos habebat, in Latinum ſermonem denuò transferri curauit. Sed quid inter tantos? dices: ab Eſdra namque non tantum tres, ſed ſeptuaginta duos exaratos fuiſſe firmiſſime credunt doctiores Hebræorum magiſtri. Verum enim vero licèt ex tam ingenti numero ſexaginta nouem Latium vmquam non viderint, eorum tamen trium, de quibus nobis nunc ſermo, tanta eſt maieſtas, tanta vtilitas, vt nouis quos parat cibis tuus ſi reficiatur animus fragmenta quædam ſupererunt quæ colligenda dices ne pereant. Non quod in iiſdem omnia te reperire poſſe ſana præſumam, cum pleraque ſuperflua eſſe ſciam, imò

& vana, ſomniiſque ita conſpurcata Iudaïcis, vt per Cribrum noſtrum Cabaliſticum, quod propediem ſumus in lucem daturi ad amuſſin examinata, furfura inter referre non piguerit.

Quales autem fuerint eorundem Codicum Inſtauratores, paucis hîc tibi aperiendum exiſtimaui: Pleniorem enim, & vberiorem de illis meſſem colliges in mox commemorato Cribro. Primi itaque Codicis, cuius principium & finem quæ ipſi deerant ex Hebræo Codice Manuſcripto reſtituimus, & Latine fecimus, Illuſtrator fuit Rabi Leui de Recineto, Italus, Recanati vulgo denominatus. Is adeò fuit in Cabaliſticis edoctus, adeòque ſubtilis, vt ſubtiliorem doctioremque vix Italia nouerit. Vixit ab hinc centum octoginta retro circiter annis, variaque opera poſteritati conſecrauit, quorum celebriora Hebræis ſunt Theoremata Cabaliſtica in librum Oraculorũ Rabbi Lebá Senioris: Notæ in Orationem Cabaliſticam Rabi Nechuniæ Ben Kaná, & in Aphoriſmos Rabinorum Ioſſé & Eleazaris Gadol ſeu Maioris. Explicationes & Enodationes in Libros Magni nominis Hazoar, & Habair. Eruditiſſimis quoque commentariis illuſtrauit Tractatus Thalmudicos Berachot, ſeu de Benedictionibus, Nidá de Menſtruatis, & Sannedrin de Senioribus, pleroſque etiam Scripturæ Sacræ Libros, amboque Thargumina, Ionathani ſcilicet Chaldæi, & Aquilæ Pontici Proſeliti, quem Onkelos, corrupta voce, nominant.

Secundi Codicis, cui priores tres paginæ deſunt, quas inopia Hebraïci Codicis reſtituere

minime potuimus, Collector fuit Rabi Eliezer Katon, ſeu iunior, Minorue: ſic appellatus ad differentiam Gadol Senioris, vel Maioris mox laudati, natione Germanus, ex Vormacia, vt fertur oriundus, profeſſione Medicus, vt eius in Aben-Tſina, & Galenum annotationes fidem faciunt. Fuit & in philoſophicis apprime doctus, nam præter Librum de Animæ motibus, & Ente primo, alium edidit de imaginationibus mulierum & ægrotantium, in quo de vrinarum vſu, quas בורית דם *Borith dam*, hoc eſt *ſaponem ſanguinis* nominat, multa refert, tum medica tum philoſophica non aſpernenda.

Tertij tandem Codicis Illuſtrator appellatur ScemTob Ben Ioſeph Ben Phalachera, profeſſione etiã Medicus Hiſpanus, auctor ſeu Collector duorum illorum operum magnæ apud Hebræos exiſtimationis, ſcilicet ספר העלות *ſepher haghalot* i. *Liber Graduum*, & ספר ראשית חכמה *ſepher Reſcit Chocmah* i. initium ſapientiæ. Hoc vnum his in Collectoribus & Explanatoribus dolendum eſſe cenſeo, quod non ſatis à textu ſua non diſtinxerint Gloſſemata. Tantis enim ea iacent obtenebrata nubibus, tantiſque permixta confuſionibus cum ipſo genuino natiuoque textu, quem אילות hoc eſt *diuinum* tota Cabaliſtarum Synagoga malè forſitan nominat, vt alter ab altero vix ab inſpicientibus diſtingui poſſit atque diſcerni. Addo ſecundum Codicem qui eſt de ſcientia Animæ, non à proprio fuiſſe Interprete exaratum, ſed ab alio quodam, & quidem imperito tranſcriptum, imò iis in locis in quibus de ſecretioribus agitur argumentis Cabaliſticis,

quibus obſtinatiſſimi proprio quaſi gladio à Chriſtianis confodi facilè poſſunt Recutiti, dolo malo ita corruptum, vt nemini profectò mirum eſſe debeat ſi haud multo diſſimiles, ab hominibus noſtræ tempeſtatis fraudes committuntur, quando nunquam defuerunt qui quod hæretici, Viterbienſes, Ciccarelli, & alij iudaicæ perfidia hoc & præterito ſæculo commiſerunt olim quoque perpetrare ſint veriti.

CODICVM

CABALISTICORVM

MANVSCRIPTORVM,

QVIBVS EST VSVS

IOANNES PICVS

COMES MIRANDVLANVS,

INDEX.

TRES in Tomos diſtinguntur Codices Cabaliſtici MMSS. Pici Mirandulani iuſſu ex Hebraïco in Latinum ſermonem tranſlati.

PRIMVS, verſatur circa Priores Scripturæ Sacræ Libros, quos Pentatheucum appellant, quorum myſteria Cabaliſtica pandit & explicat, Collectore Rabi Leui de Recineto, vulgo Recanati, Italo. Incipit *Ex ſententia Doctorum noſtrorum*: Finit. *Ædificans Ieruſalem Dominus diſperſiones Iſraël congregabit.*

SECVNDVS eſt de ſcientia Animæ rationalis diuina, merè ſpeculatiua, Inſtauratore Rab. Eliezer Katon, id eſt iuniore, Germano. Incipit. *Decimo ſeptimo.* Finit. *Subiuncta ſint ſemper in ſæculum ſæculi facta.*

TERTIVS verò eſt de variis hominum Gradi-

bus: Exſcriptore Rab. Scem Tob Ben Ioſſeph Ben Phallachera, Hiſpano. Incipit *Liber Graduum Rabi Scem Tob.* Finit: *Corponas in ſapientiam meam.*

PRIMVS CODEX.

IN tot partitur ſectiones magnas quot ſunt in Pentatheuco Libri, quarum ſingulæ ſubdiuiduntur in particulas minores, quas vocant *Paraſciaot.*

Sectio I.

Ex quinque maioribus quæ ſunt in Geneſim, duodecim ſubſequentes habet Paraſciaot in quarum

Prima.

Quæ eſt *Bereſcit* Tractatur.

DE myſtica litera ב *Beth*, à qua principium Lex habet.

De proceſſione Perſonarum in Diuinis.

De triginta duabus Viis Sapientiæ, & quinquaginta Portis intelligentiæ.

De verbis Hebraicis quæ *creare* ſonant.

De אהיה & אלהים. *Elohim*, & *Ehieh*. i. Dij, & Ero.

De decem *Sephirot*.

De תהו ובהו *Tohou* & *Bohou*. i. Vacuo & Inani.

De Linea viridi quæ circuit vniuerſum.

De ſex Extremitatibus, & Brachiis Mundi.

De decem Indumentis.

De Luce prima, & poſtrema.
De Diebus in hebdomada.
De Spiritu Sancto.
De ſeptem Cœlis, & ſeptem Terris.
De Aquis ſuperioribus.
De Firmamento, & Igne.
De pullulatione Graminum, & Animalium Terræ.
De Lunæ Diminutionibus.
De Angelis, eorumque Ordinibus.
De Volatilibus Cœli.
De Leuiathan.
De Imagine Dei in homine.
De Requie Sabbathica.
De Seminibus ſpontaneis Campi.
De Vapore qui aſcendebat de Terra, & irrigabat vniuerſam faciem *Adamæ* 1. Terræ.
De Paradiſo Heden, eiuſque tum Arboribus, tum Fluminibus.
De præcepto : *Ex arbore ſcientiæ boni & mali ne comedas* : & quænam fuerit hæc Arbor, num Nux? num Vitis? num Ficulnea.
De Nominibus ab Adamo rebus impoſitis.
De Sopore Adami, & formatione Heuæ.
De Matrimonio.
De Cœleſti Hieruſalem.
De Serpente.
De modo quo ſuperiora capiuntur ab inferioribus.
De compaſſione Creatoris.
De Media Nocte.
De expulſione hominis ab Heden.
De Caſu Angelorum.

De Reſurrectione mortuorem.
De Generatione Cain ex Dæmone.
De inuidia Dæmonum in Homines.
De Malitia Cain, & Morte Abel.
Quod Cain Linum obtulerit in ſacrificium, & Abel Lanam.
De raptu Enoch, & eius Libro prophetico.
De cœleſti Vehiculo.
De filiis Deorum, & filiabus Hominum.
De cauſa lapſus Angelorum, in hæc verba: *viderunt filÿ Deorum filias hominum, quia pulchræ eſſent tulerunt ſibi in mulieres.*
De operationibus Magicis.
De breuitate dierum hominis.
De Gigantibus,

IN SECVNDA.

Hæ ſunt Generationes Noeh, tractatur.

De Arca Noeh.
De Iride.
De Vinea, & Vino.
De Magno Iobilæo.
De Prouidentia Dei.
De ſacrificio Noeh.
De Lateribus coctis, & de Turre.
De diuiſione Gentium.
De Linguis.

IN TERTIA.

Vade Tibi.

DE Sex Immunditiis.
De Axiomate Cabaliſtico : *Quod euenit Filiis ſignificatum eſt in Patribus.*
De quatuor Mundi Monarchis Maioribus.
De proprietate ליילה *lailai*. noctis.
De Decimis ex כל *col* i. omni.
De viſione prophetica.
De Aſtrologia Abrahæ, & Fide eius.
De myſtico numero Præceptorum Domini.
De modo orandi Deum.
De abſciſione Animarum.

IN QVARTA.

Apparuit ei Dominus.

DE Viſione corporali Angelorum.
De eorum Indumentis, quæ *Camiſiam* vocant, & de Cabaliſtico illo Axiomate: *Omne ſpiritale deſcendens deſuper, non operatur niſi per veſtimentum.*
De quatuor Culturis.
De peccato Sodomæ.
De diuina ſacrarum Proprietatum Metamorphoſi.
De cauſa transformationis fœminæ Loth in Statuam Salis.
De officiis Veſpertino, & Antelucano.
De vi & efficacia Verborum prolatorum.

De Angelo *Sandalphon.*
De quatuor ſpiritibus præfectis regioni vmbræ mortis, ſeu inferis.
De Iuramento.
De Characteribus ſigillatis.
De Tribus Vigiliis Noctis, & quid in ſingulis earum operetur.
De Amore, Timore, & Tremore.

IN QVINTA.

Factæ ſunt vitæ Saræ.

DE Crypta, ſeu Spelunca duplici Abrahami.
De Matrimonij Sacramento.
De donis Abrahæ Magicis.

IN SEXTA.

Hæ ſunt generationes Iſaac.

DE Fato ſupremo rerum omnium.
De Pilis, & Piloſis hominibus.
De Pulmento.
De Venatione Iaacob.

IN SEPTIMA.

Egreſſus eſt Iaacob.

DE Scala per Inſomnium viſa.
De Oſculo ſacro.
De feruenti Amore.
De Manuum in benedicendo eleuatione.

In octava.

Miſit Iaacob Angelos.

DE Oratione, & de cauſa impediente effectum eius.
De Septentrione.
De myſtica membrorum hominis analogia cum præceptis Domini.
De ordinatione Principum, & Magnatum.
De morte myſtica.

In nona.

Habitauit Iaacob.

DE peccato venditionis Ioſeph.
De Meſſiah, & ſacra eius Carne.
De cauſa quare Impij proſperantur.
De his qui non generant, & de maculatione mutonis.
De ſeptem Terris.
De animabus Nouis, & de עבור *igbour* I. metempſicoſi.
De ſtatu Cadauerum in ſepulchris.
De Purgatoriis.
De Leuitis.
De Primogenitis.

In decima.

Factum eſt poſt annos.

DE nobilitate Angeli qui præficitur terræ Ægypti.

De fructu *Zimbrat.*

In vndecima.

Appropinquauit ad eum Iudas.

DE duplici Viſione.
De ſimilitudine Inferiorum cum Superioribus.

In dvodecima.

& vixit Iaacob.

DE iis quæ prædicta fuerunt filiis Iſraël.

SECTIO SECVNDA.

Quæ eſt in Exodum, vndecim habet Paraſciaot, in Quarum.

Prima.

Hoc lemmate inſignita.

Et hæc ſunt Nomina.

Tractatur.

DE ſociatione probi cum improbo: ſeu de cognatione Moyſi, & Ietro,
De Angelo facierum זגנזאל *zeganzel.*
De Verbis אהיה אשר אהיה *ehieh aſcier ehieh*; id eſt, *ero qui ero.*
De humiliatione, & proſtratione.

IN SECVNDA.

Apparui ad Abraham.

DE differentia Prophetiæ Moyſis, & reliquorum prophetarum.
De decem *Sephirot*, ſeu numerationibus quas מראות *marot* vocant, hoc eſt *ſpecula.*
De Triplici prophetia.

IN TERTIA.

Vade ad Pharaonem.

DE Hora myſtica qua exierunt Patres de Ægypto: & à qua ſtella dominium habeat hora illa?
De Paſchate, ac eius myſterio.
De Azymis.
De Philacteriis, & de myſtica ש *ſcim* littera.

IN QVARTA.

Factum eſt cum miſiſſet.

DE Columnis mirabilibus Ignea & Nubea.
De Angelo שמעאל *ſciamael*, Vrbis Romæ præſide.
De ſeptuaginta duobus Dei Nominibus, quæ קשתות *queſciatot*, *Arcus* ſeu *Pontes* vocant.
De Manu & Digitis Dei.
De זה וזאת *zeh zoth.* I. hoc & hoc
De Cacodæmonibus ad plagam ſeptentrionalem habitantibus.

De proprietate dictionis אמן *Amen*
De Manna.
De temporis ſpatio in quo Manus eleuantur in orando:

In qvinta.

Et audiuit Ietro.

De Lege Scripta, & non Scripta, quam vocant מפא על פא *mipe ahl pe*, ſeu *de ore ad os.*
De פסל peſſel i. *imagine*, ſeu *ſimilitudine*; & de Imaginibus à lege prohibitis.
De inchoatione præceptorum Domini ab א *aleph*, & terminatione per כ *caph*.
De ſeptem Dei vocibus.

In sexta.

Hæc ſunt iudicia.

DE dignitate *Sanhedrin* i. Iudicum.
De ſeptem Terris, & totidem Cœlis.
De quinque præcipuis Suppliciorum generibus, Lapidatione Combuſtione, Suſpenſione, ſeu ſtrangulatione, iugulatione, & Crucifixione.
De virtutibus Confeſſionis.
De modo auerruncandi Faſcinationes.
De non coquendo Hœdo cum Lacte matris.
De Meritis, & Demeritis.

In septima.

Capiat mihi eleuationem.

DE myſterio longitudinis & latitudinis Tabularum Legis.
De Cherubim מראה כבוד *marreh Cauod* i. aſpectus gloriæ appellatis.
De Lignis myſticis quibus conficiuntur Tabernacula in die ſolemnitatis Tabernaculorum.
De mira defunctorum Reſurrectione.
De virtutibus benedictionum; & quod Patrum, Sacerdotum, Procerum, & Angelorum benedictio ditem faciat.
De decem Cortinis Tabernaculi.
De פרוכת *parochet*, ſeu Velo Sanctuarij.

In octava.

Et tu Iube.

DE Veſtibus Summi Pontificis.
De diuinatione per אורים ותמים *ourim Vetumin* i. illuminationes, & perfectiones quas *ſacram* vocant *Pyronomanteiam*.
De ſecreto ſeptem Magnorum dierum.
De manſuetudine Sacerdotis in non iugulando hoſtiam.
De Sanguine, Adipe, & Renibus hoſtiæ.
De Angelis ignitis atque lucentibus.

In nona.

Cum numeraueris ſummam.

DE fine quem ſibi propoſuerant Iſraëlitæ in conficiendo aureo Vitulo.
De forma externa & interna Tabularum Legis.
De Scutis Hebræorum Taliſmanicis, in quibus ſculpebantur Dei nomina.
De Amuletis quæ confici ſolent ex tredecim Diuinis proprietatibus.
De illuminatione per Spiritum Sanctum.

In decima

Congregauit Moyſes.

DE Myſterio לב *leb* i. cordis; & quare litera *beth* totam legem indigitet?

In vndecima.

Hæ ſunt numerationes Tabernaculi.

DE Nube glorioſa qua operiebatur Tabernaculum.

SECTIO TERTIA.

Quæ eſt in Leuiticum in Decem partitur *peraſciaot*, in quarum.

PRIMA.

Et vocauit Moyſem, hæc Tractantur.

DE intentione Sacrificantis Hoſtiam.

De Oblationibus, & Holocauſtis : & quid intendatur in eorum conſecrationibus?

De reductione Boum, Taurorum, Agnorum, Arietum, aliorumque quadrupedum ad caput vnum.

De particulari Turturum, & Columbarum oblatione : & quare ex volatilibus illa duo tantum offerrentur.

De Connexione & Concatenatione rerum omnium.

De Myſterio Omenti, Tabi, Fermenti, Mellis, Vini, & Aquæ: & quare Omentum ſit licitum Deo, & illicitum homini inferiori : Fermentum & Mel licitum homini & non Deo, Vinum vero & Aquam vtrique?

De Purificatione per ſanguinis effuſionem, & quare ſepties aſpergeretur ſanguis in Purificationibus?

IN SECVNDA.

Iube Aaronis.

DE admiranda Spiritus Sancti attractione per Sacrificia, eiuſque deſcenſu mirifico.

De מחשבה טהורה ומחשבה רעה *machſceuah thehoura oumachſceuah rahg* hoc eſt, de Imaginatione pura, & mala.

De Corona exultationis.

De בד ופשתם *bad oupicſctam*, ſeu de Lino, & Lana.

De recto Vaſorum ſacrorum vſu, & de omnimoda Sacrificiorum deſcriptione.

De Animalibus in quorum corporibus fit *Ghilgoul* ſeu *tranſmigratio*, non ſacrificandis.

IN TERTIA.

Et factum eſt in die octaua.

DE relatione quæ eſt inter אשה & איש *Eiſc. & Eiſcia*, i. Ignem, & Mulierem.

De Prohibitione carnium, Immundarum: & de decem ſpeciebus animalium Mundorum.

De Variis in Beſtiarum corpora tranſmigrationibus.

De myſtica ſignificatione Hebraïci nominis חזיר *Sus* & quare vocetur *Chazir*, hoc eſt *reſtitutus*.

Quænam Gens repræſentetur per immundum illud animal?

IN QVARTA.

Mulier cum ſper.

DE ſanguine Menſtruo, variiſque Purificationibus.

De modo generandi Maſculos.

IN QVINTA.

Hæc eſt Lex Leproſi.

DE Lepra.
De myſterio Hirci in deſertum emiſſi.
De Angelo עזאזל *Azazeel.*
De variis Spiritibus Immundis per aëris expanſionem vagantibus, atque volantibus.

IN SEXTA.

Poſt mortem filiorum Aaron.

DE perfecta animæ vnione cum Deo per זאת *zoth*, i. hoc, hoc eſt.
De Sortibus ſuper hæc verba: *proiiciat Aaron ſuper ambos Hircos ſortem.*
De remiſſione peccatorum per Confeſſionem & Ieiunium.
De arte Magica Balaam. Et num Dæmones vtantur cibo, potu, & coitu?
De Turpitudinibus.
De variis gradibus Tranſmigrationum, quibus luxurioſorum hominum animæ purgantur in hoc ſæculo, ob varium perpetratum ab ipſis prohibitum coitum, cum variis Mulierum gradibus.
De Laudibus Terræ Iſraëliticæ.

IN SEPTIMA.

Sancti eſtote.

DE recto Senſuum vſu.

De admirãdis operationibus per Verba & Voces.
De nomenclatura nominis *Sathana*, & de indumento ex diſſimilibus, puta lino, & lana conſutis, quod *Saathnez* appellant.
De cortice magica Arboris Superioris.
De Haruſpiciis ſup. hæc verb. *nolite Haruſpicari.*
De migratione iterum animarum in beſtiarum corpora.

IN OCTAVA.

Dic Sacerdotibus.

De puritate Sacerdotum.
De ſecreto Heptateridos, & Iobelei.
De Ceſſatione ſacrificiorum omnium, excepta Hoſtia תורה *Thoda* 1. Laudis.
De Diuinis proprietatibus, & de Iudicio & Clementia Dei.
De Volumine à Deo deſcribendo.
De ſeptem Inferorum Locis.
De ſecretis Vmbraculorum.
De Diuinatione per Inſomnia.

IN NONA.

In Monte Sinai

De Duratione Mundi, & cur à ſecretioribus Cabaliſtis Mundus ipſe vocetur *Spatium quinquaginta annorum.*

IN DECIMA.

Si in præceptis meis.

DE Die Pluuiæ.
De vera in Deum Conuerſione: & quare litera ה *he* addita ſit verbo אשובה *aſciounah*, i. *conuertam.*

SECTIO QVARTA.

Quæ Librum explanat Numeror. in decem etiam partitur Peraſciaot, quæ ſunt.

PRIMA.

Et locutus eſt Dominus.

in qua tractatur.

DE Spiritibus præfectis rebus ſublunaribus, præſertim Elementis.
De loco myſtico Caſtrametationis Tribuum filiorum Iſraël.

IN SECVNDA.

Tolle ſummam filiorum.

DE Confeſſione Peccatorum.
De portis Orationum, & de Pœnitentia.
De aqua Zolotipiæ, aliiſque amarificantibus aquis, vbi explicatur axioma: *Bibe aquas de puteo tuo.*

De Nazaræis.

De Nominibus duodecim & 72. Literarum.

In tertia.

Cum accenderis Luminaria.

De Lyra myſtica.

De Tubis ſacris:& quare eorũ nomina Heb. חצצרת *Chatzotzerot* ſcribãtur ſine litera ו *vau*.

De Loquutione Moyſis cum Deo : & quare ipſa fuerit in במראה *bamarrah* & non in במראה *bamarreh*, i. viſione.

In qvarta.

Mitte tibi viros.

De Scelenomanteia, ſeu diuinatione per Lunam, ſuper hæc verba : *remota eſt vmbra eorum deſuper eis*. In nocte namque *Signaculi* (ſic noctem appellant, eam quæ eſt vigeſima prima Lunæ Septembris) ſi quis hora diei illius vigeſima prima ſe in vmbra lucentis Lucinæ, ſine capite viderit, ipſum hoc anno certiſſime moriturum credunt.

De colore Cæruleo : Et quod omnes colores per inſomnia viſi proſperi ſint, præter cæruleum.

De voce, ſeu Cantu Galli myſtico : & quod non dominentur Dæmones à Gallicinio, & vltra.

De Flamine ſuper alas veſtium.

De אז מות & מזוזות *mezuzot & az mauet* ſeu de Poſtibus, & remotione Angeli mortis.

IN QVINTA.

Et ſeduxit Coré.

DE Interſtitiis Prophetarum: & quod Moyſes non diſpoſitus eſſet ad Prophetiam, in quacumque hora diei.
Quid ſit *cadere ſit faciem ſuam*, & quis modus orandi ad Septentrionem?

IN SEXTA.

Hæc eſt conſtitutio Legis.

DE Myſterio Vitulæ Ruffæ.
De Gentibus ſignatis colore rubeo, deque eorum Imperiis.
De Polluto Cadaueris contactu: Et quare corpus Alienigenæ in vita ſit pollutum, & in morte purum?
De intentione Moyſis in percuſſione petræ. Et quare Spiritus Sanctus vocetur פי כלה *pi cullo* i. totus ipſe os, vel *os-vbique.*
De Serpente Æneo in ſimilitudinem Dipſantis effigiato.

IN SEPTIMA.

Vidit Balac filios Sipor.

DE differentia prophetiarum Balaam & Moyſis.
De Aſini, & Aſinæ vocibus. Et, num bruta loquantur.
De infami cultu Priapi.

In octava.

Phineas filius Eleazar.

De בינה *binah* i. Intelligentia, quatenus eſt בן יה *Ben Ia*, i. Filius Dei.

In nona.

Principes Tribuum.

De differentia quæ eſt inter *Vouere*, & *Iurare*, Et de proprietatibus נדרים *nedairm*, i. votorum.

In decima.

Hæ ſunt profectiones.

De Ciuitatibus Refugij.

SECTIO QVINTA.

Hæc Deuteronomium interpretatur, & in decem ſimiliter, diuiditur Paraſciaot, quæ ſunt.

Prima.

Deprecatus ſuum ad Dominum,

vbi agitur.

De Myſterio adorandæ Trinitatis.

SECVNDA.

Et fiet pro eo quod audietis,

in qua.

DE radice Fidei Hebræorum.
De myſticis litteris *aghim*, & *daleth*, quæ ſcribuntur maiori forma in fine vocabulorum שמע אחד *ſcemagh* & *echad*. Hoc eſt, Audi Iſraël.
De Charitate perfecta.

TERTIA.

Vide, ego do Hodie.

DE *Coſmim*, *Hozim*, & *Aſtagninim*, i. Aſtronomis, Aſtrologis, Mathematicis, aliiſque ſydera inſpicientibus, & futura prædicentibus.
De Depilatione quæ in emortuis corporibus fieri conceditur, in viuentibus verò prohibetur.
De Pace domus; & de miris Eleemoſynæ virtutibus.

QVARTA.

Iudices & præfectos conſtitues.

DE iuſto Iudicio.
De Lucis, & Arboribus in quibus inſani ſculpebantur characteres ab inſanis Idolorum cultoribus.
De Diis alienis quibus ſeruiuit Salomon, ſuis illectus atque deceptus mulieribus.

De Aruſpicina naturali pura & licita.

Quare nec ſerebatur, nec colebatur Ager in quo offerenda mactabatur vitula.

De iuſta Peccatorum remiſſione per Iuſtorum hominum Paſſiones, Dolores, & Langores.

QVINTA.

Cum exieris ad bellum.

DE meritoria Cadaueris ablatione à Cruce.

De pietate procerum in emittendo Auium filios è nido: & de aliquibus Auium miris operibus.

De Etherogeneis.

De Myſtica caracteris ה *he* à nomine נערה *naara*, i. Virgine, ablatione, cum de diffamata pollutaque loquuntur Inſpirati ſancti Dei homines.

De obcœna & planè ridicula Priapi & Ganimedis pictura.

De puella quam meretur Iuuenis pietate ac timore Domini præditus.

De tempore conuenienti Carnali vxoratorum Copulæ.

SEXTA.

Cum intraueris ad Terram.

DE Theſaurorum ſecretis.

De ſeptem Plagis, ſeu maledictionibus corporis, quæ ſunt *Pthiſis*, *Febris*, *Lepra*, *Ignita Plaga*, *Gladius*, *Ectica*, *Icteritia*.

SEPTIMA.

Vos ſtatis hodie.

DE Statione Animarum omnium coram Domino in monte Syna, tempore quo fuit Lex Moyſi data.

De Meſſihæ temporibus, eiuſque aduentu.

OCTAVA.

Et abiit Moyſes.

DE ſenſu Vetuſtiſſimorum Patrum ſententiæ: *expellit Virum ante Virum.*

De Moyſe Sole, & Ioſue Luna.

De tribus qui ſtant in teſtimonium.

NONA.

Audite Cœli.

DE abdita verborum ſignificatione Cantici Moyſis: *Audite cœli quæ loquor.*

Decimam verò particulam Auctor morte præuentus inexplicatam reliquit.

SECVNDVS CODEX

MANVSCRIPTVS

IN quindecim Libros eſt diuiſus.

In quorum QVATVOR prioribus omnia ferè Platonis, & Pithagoræ dogmata de Ente

de Ideis & de Numerorum myſteriis, concluſionibus adaptata Cabaliſticis, in medio afferuntur & explicantur. In iis etiam agitur de ſacrorum characterum ſacris in Oraculis contentorum occultationibus miris. Occultationes verò vocant eclipſim ſeu defectum alicuius literæ de medio cuiuſdam textus Biblici, cuius quidem ordine, numero, vel figura, Spiritu Sancto, vt volunt, ita diſponente, myſterium latens, occultumque intelligentibus indicatur, & apperitur.

QVINTVS Liber, cuius titulus eſt ספר סמוכים *ſepher ſemouchim*, hoc eſt de Subiunctis, tractat de rerum omnium connexione: De ſignorum Triplicitatibus: De Elementorum ordinationibus: De Regnorum Magnarumque Vrbium vaſtationibus: De fatali vitæ hominum termino: De Cataclíſmo, & de animalium in Arca Noeh variis mótibus, victu, manſuetudine, loco, & appetitu.

SEXTVS, qui inſcribitur *de Coronis*, rationes affert Cabaliſtico-Theologicas, quare quibuſdā Scripturæ Sacræ, tum verbis, tum nominibus, aliquæ literæ depingantur cum affixis in earū vertice lineolis quas כותרות *cotarot* Coronas vocant. Literæ vero quæ eiuſcemodi coronantur diadematibus & coronis ſunt.

א *Aleph* in nomine אלפי *Alphei* I. Myriades.

ב *Beth* in nomine בראשית *bereſçit*, I. in principio.

ג *Ghimel* in verbo ותגנוף *Vatignoph*, I. & furata eſt.

ד *Daleth* in nomine תלדות *tholedoth*, i. Generationes.

ה *He* in nomine והענים *Vehaagnim*, Haanitæ populi.

ו *Vau* in nomine ועשרון *Veaghſron* i. & decimatio.

ז *Zain* retorta in pronomine זה *Zeh*, i. hic: Retortam verò vocant Literam quæ à recto depingendi modo tantillum declinat.

ח *Cheth* in verbo מרחפת *merachephet*, i. ferebatur: & in nomine רוח *ruach* i. Spiritus.

ט *Theth* in nomine טוב *tob*, i. bonum.

י *Iod* retorta in nomine ביום *byon* i. in die.

כ *Caph* in verbo ויכל *Vaycol* i. Et non compleuit: & in verbo ויברך *Vaibarech*, i. & benedixit.

ל *Lamed* retorta in verbo וילבישם *Vaialbiſcem* i. & induit eos.

מ *Mem* in nomine אלהים *Elohim*, i. Deus: & in verbo הברהם *bibraham* i. Et creauit eos.

נ *Nun* retorta in נעשה אדם *naghaſſeh Adam* faciamus hominem בצלמנו ובדמותנו *betſalmenou, ouid motenou* i. ad imaginem noſtram & ſimilitudinem noſtram.

ס *Samech* in verbo הסבב *haſſoueb* i. qui circuit.

ע *Aghim* in nomine ערומים *ihgrumim* i. nudi.

פ *Pe* in nomine פישון *phiſſon*, i. Phiſſon, fluuius.

צ *Tſade* in nomine מצרים *mitzaim* 1. Ægyptus.

ק Kop*h* in verbis קרא ויקדש Ka*ra*, *vaikadeſe* 1. vocauit, & ſanctificauit.

ר *Reſc* in nomine אור *aor* 1. Lux.

ש *Scim* in verbo ולמשול 1 *velmſciol*, 1. & ad imperandum. Et in nomine נשמת *neſciamat*, 1. ſpiraculum.

ת *Thau* in adiectiuo חרות *charout* 1. ſculptum.

Per hanc ſiquidem abditiſſimam Theologiam probare intendunt Cabaliſtæ rerum omnium Creationem factam fuiſſe in Filio, vel per Filium: Spiritus Sancti proceſſionem à Patre: Creationem Animæ Chriſti, & Angelorum, eorumque ordinationes varias: Mutationes Temporum mirabiliores tum cœleſtes, cum humanas. Mundorum pluralitatem: bonorum Operum ad conferendam gratiam neceſſitatem: Conuerſiones hominum in beſtias, cum fabuloſas, tum reales: Chriſti Saluatoris diuinitates & aduentum: Influxus ſtellarum: Sacri Characteris ת *Thau* inſigniores Virtutes; aliaque complura.

S E P T I M V S Liber, qui Paſſech διάςολη dicitur, ſimilis eſt quodammodo ſexto. Varia enim myſteria pandit ex vocibus Biblicis, in quibus Hebraicus accentus reperitur qui paſſech appellatur, quique morem gerit retinaculi ſeu fræni, quo attentus tenetur legentis animus ad ea quæ latent ſub cortice verbi vel nominis cui tale frænum iniicitur, contra ſæpius Grammaticales regulas ſenſuſque connexionem. Exempli cauſa

dum de domo Domini ſermo eſt ſic regulariter ſcribendum eſſet בית יה וה *Beth iehoua*, ſiue rectius *adonai*. i. domus Domini, nulla diſtinctione adhibita inter primam & ſecundam dictionem. Adhibetur tamen per prædictum retinaculum hoc modo בית ! יהוה vt fiat, inquiunt, altiſſima attentaque mentis cogitatio circa differentiam quæ eſt inter domum Hominis, & domum Domini, quarum illa fulget perpetuò parietibus, hæc vero æternum indiget Sacerdotibus. Illa humilis licet tot perduret ſæculis, hæc autem quæ tot tantiſque fuerat ædificata ſumptibus, tot aucta Principibus, tot aureis adornata ſupellectilibus, tot ſummi Dei & Prophetarum euecta ad cœlos vſque laudibus, ſuis æternum iaceat proſtrata ruinis, tanto cum inimicorum applauſu, vt vel cœlis ipſis ſtupentibus venturis eſſent dicturi ſæculis: *exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea.*

O c t a v v s, de Dominicis tractat Alphabetis, quibus etiam non minima ineſſe myſteria Cabaliſtæ aſſerunt. Alphabeta vero Dominica vocant illos Scripturæ Sacræ Textus in quibus omnes Hebraïci Alphabeti continentur, & exprimuntur Literæ, nulla deficiente, nullaque quieſcente vt hoc in loco Exod. צוה יהוה
לקטון ממנו איש לפי אכלו זה הדבר אשר
עמר לגלגלת מספר נפשתיכם איש לאשר באהלו תקחו
i. *hoc eſt Verbum quod iubet Dominus. Colligite ex eo vnuſquiſque ſecundum quod ſufficit ſibi ad menſuram Ghomer pro quolibet capite, pro numero animarum veſtrarum vnuſquiſque pro his qui ſunt in Tabernaculo.* Duæ namque

ſupra viginti quæ ibidem exprimuntur literæ, cœleſtis, inquiunt, cibi myſteriũ à ſacratioribus Hieroſolymitani Templi Sacerdotibus (qui vinginti duo, nec plus nec minus in illo perpetuò numerabantur) reuelatũ oſtendunt, dum לחם פנים *lechem panim* 1. panẽ facierũ, à פנימים *panimim* hoc eſt ab *interiori* ſcilicet facie, appellatum eſſe volũt, quod præter exteriorem. interiorem etiam Panis ille mirabilis Faciem haberet exteriori diuiniorem.

NONVS, qui ספר הקולות *ſepher hakolot* inſcribitur, hoc eſt de vocibus, occultis ſcilicet & myſterio plenis quæ ſacris reperiuntur in Canticis, myſticos explanat ſenſus, quos alio nomine סמוס תהלים *Simous Thehillim* appellant Cabaliſtæ, hoc eſt *Pſalmorum proprietates*, vireſque occultas, quibus maxima perpetrari poſſe contendunt.

DECIMVS, qui eſt de Homine, tractat de primo illius Sepulchro, quod בטן *bethen* vocant, hoc eſt maternum Vterum, in quo Michaëlem Archangelum formare fœtum, atque ad Legem ipſum diſponere ſcribunt: vbi multa de Rectoribus atque gubernantibus Angelis, quos Fides Chriſtiana CVSTODES nominat: De loco etiam in quo incipienda eſt Mortuorum Reſurrectio; De Terreſtri Hieruſalem, *Domus Cymeteriorum* appellata: De corporibus, & animabus glorioſis non indigentibus vbi, nec loco: De Diuino generandi, creſcendi, atque multiplicandi præcepto: De Magis, Pythonicis, Strigibus, Fatidiciſque mulieribus: De cereis Imagunculis ab ipſis magicè confictis atque percuſſis: De Dæmonibus

Incubis, & Succubis; Et de Cacodæmone *Chuſſaph* qui loco Eliæ Prophetæ ſæpius apparere dicitur: De motu, miraque ſacrorum Animalium à Propheta Ezechiele viſorum, obambulatione, ac eorum Aſpectibus: De admirandis Angelorum cumuolationibus in momento: De tremenda Eſau reprobatione: & quomodo in maternis viſceribus malus extiterit: De veris, falſiſque per Aſtronomiam operationibus: De coniectandis per Metopoſcopiam, & Chyromanteiam moribus: De מזל *mazal*, I. fato cuiuſcumque hominis: De Angelo Sathanæ Iuſtos ſubſannante, atque ipſos colaphiſante: De Camæis ſeu ſpiritibus Minimis: De fatali Lunæ lucentis lumine: De & משחיתים שדים חרבים *Maſchitim, ſedim charabim*, ſeu corruptoribus & deſtruentibus Angelis: De fabuloſa demum Reſurrectione Mortuorum per Characteres, Verba, Herbas & Lapides.

VNDECIMVS, cuius titulus eſt, *De ſecreto vnitatis*, tractat de ſummi Entis Atributis: De Membris Dei myſticis, & quare nullum ei tribuitur membrum eorum quæ ſub Diaphragmate ſunt: De ſimilitudine Animæ cum Deo; & de eius vera צלם *tſelem* I. Imagine & דמות *damout*, I. ſimilitudine.

DVODECIMVS, appellatur ספר צדקים *ſèpher tſadiquim*, hoc eſt, liber Iuſtorum, qui de ſumma tractat beatorum Fœlicitate, ſummoque Bono. De remuneratione ſpiritali: Et quare nulla promittantur in lege bona æterna, ſed omnia temporalia & materialia: De Deo ad mentem Græcorum Theologorum; & quare Deus non

ſit סוף *ſoph*, 1. finis, nec קצה *quatſa*, 1. extremum, nec חק *cheq*, 1. medium, nec גבול *gheboul*, 1. terminus, nec עמדה *aghmidá*, 1. ſtatio, nec ישבה *ieſcibá*, 1. ſeſſio, nec הלכה *halica*, 1. ambulatio, nec עלה *aghlia*, 1. aſcenſus, nec הירדה *hieridá*, 1. deſcenſus; ſed ſola חפץ *chephetz*, 1. voluntas, & ראשון *raiſſon*, 1. ratio.

Decimvs tertivs, cui titulus eſt ספר עקלות *ſephet aghqulot*, 1. lib. de Obliquis, ſeu Tortuoſis, myſteria explicat eorum quæ ſacris habentur in Bibliis de quorundam characterum inuſitata delineatione, quam עקלה *aghqulla* vocant, hoc eſt tortuoſam: exempli cauſa, quare, inquiunt, tortuoſa ſit littera נ *nun*, tribus hiſce vocabulis נעשה בצלמנו ובדמותנו *naghaſſé betſalmenou oubdemoutenou*, 1. Faciamus [Hominẽ] ad imaginem noſtrã & ad ſimilitudinem noſtram? reſpondent ſic à Spiritu Sancto factum, vt per tortuoſitatem literæ נ *nun*, tortuoſitas animæ hominis quam incurrit ob peccatum Originis, quod *tortuoſum* vocant propter peſtilentem tortuoſi Serpentis ſibilum, ſatis apertè monſtraretur, eiuſdemque ſignaretur ardentiſſima & amore plena peccati remiſſio per eandem literulam quæ cùm characteriſtica ſit notaque numeri 50. quem de remiſſione appellant, eius tum figura, tum numerus præfatum explicarent myſterium.

Decimvs qvartvs, qui eſt de הפוך *haphouc*, hoc eſt, conuerſione (argumenti) de variis tractat Scripturæ ſacræ דרכים *derachim*, Viis, ſeu Modis, quibus varii illius ſenſus inter ſe conuertuntur & explicantur. In eo etiam non pauca enodantur myſteria de Creatione Hominis: De

infulatione

inſulatione animæ in ipſum: De Chriſti Incarnatione, eiuſque Aduentu; & quare in naſcendo maſculus oriatur faciem habens deorſum, fœmina verò ſeorſum?

Decimi qvinti Libri eiuſdem Codicis maiorem partem Interpres inexplicatam reliquit.

VOLVMEN TERTIVM.

Hvic titulus eſt ספר מעלות *ſepher magh aloth* hoc eſt, Liber Graduum, Patriarcharum ſcilicet, Prophetarum, Philoſophorum, & Plebis, quo fit vt quatuor in partes ſit diuiſus, quarũ prima (quam *aureum appellat Canticum ſecundum*, ad differentiam Cantici primi, quo primam auctor alterius Libri, qui inſcribitur ראשית חכמה *reſcit cochmá*, i. initium ſapientiæ, partem incœpit) prolegomena continet eorum quæ ſequentibus ſunt tractanda partibus.

Secvnda, Patriarcharum & Prophetarum dotes, gradus, & ordinationes enumerat: vbi de intellectu, tum puro ſeu paſſiuo, nudo aptoque ad recipiendum, quem in potentia vocant, tum de actiuo plura ſcitu digna explicat. De anima item illuminata, obcæcata, clara, tenebroſa, eſuriente, ſatura, ſitiente, ebria, beſtiali Angelica, ingloria, glorioſa, humili, alta: De Inſomniis angelicis, Extazi, & Prophetia; & quod nullus Propheta prophetauerit niſi propter Meſſiham. De tranſitu item Hominis in Deum: & de

raptu ſeu Furore Prophetico, Philoſophico, Poëtico: quidue de ipſis Ariſtoteles ſenſerit. De veris cùm corporis tum animæ voluptatibus: Et num impia de Mortalitate Animæ credulitas fuerit tempore Moyſis? De Anima demum ad diuinationem aliaque maxima nata; &, quod Spiritus propheticus non habitet niſi ſupra ſapientem virum, fortem, & diuitem.

TERTIA, Philoſophorũ præſertim Auerrois, Ariſtotelis, Platonis, Auicennæ, & Alpharabij dogmata, Gradus, & Opiniones examinat, purgatiſque illorum fæcibus, adſcientiam Sanctorum ipſa dogmata trahit, pieque accommodat.

QVARTA, & vltima pars, quæ eſt de Plebeis indoctiſque Hominibus, de peſſimis tractat vulgi Erroribus; tandemque concludit omnia ferè mala ab Idiotis indoctiſque mundo accidere.

FINIS.

b/bg
CJ56
XXΓL/